

TRIBUNAL DIOCESANO DE BARCELONA

Coram R. P. RAYMUNDO BAUCCELLS, ponente

NULLITATIS MATRIMONII (*ex nullitate dispensationis
ab impedimento aetatis*)

SPECIES FACTI

1. Obtenta dispensatione super impedimento aetatis, sub die 25 maii 1921, in ecclesia parociali Sancti Andreae de Palomar, huius civitatis, A., puella tredecim annorum, nupsit C., viginti et duos annos nato. Causa Sanctae Sedi exposita ad dispensationem assequendam fuit copula inter oratores ex qua gravida evasis oratrix, quae graviditas a medico per documentum attestata fuit, et ex qua logice eruebant vitatio infamiae in oratrice et reparatio scandali, quas orator allegaverat in sua postulatione ad Ordinarium Barcinonensem. Dispensatio vero Pontificia, in forma *commissoria* facta, et ab Ordinario Barcinonensi exequenda, data est cum hac clausula: «prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam impetrandam potissime affertur, hoc est *scandalum reparandum*. Ordinario Barcinonen. committit, ut *si vera sunt exposita*». Peractis a paroco Sancti Andreae diligentibus de mandato Vicarii Generalis, hic dispensationem ab impedimento fulminavit. Matrimonium sic initum, et nunquam, ut adserunt actrix et conventus, consummatum, nullaque prole recreatum, infelicissimum habuit successum; nam mulier, quae plures vexationes, iuxta ipsam, ex parte mariti eiusque matris passa est, tandem, post duos annos, a domicilio coniugali discessit, quin deinceps cohabitatio et coniugalis conviventia restauratae sint.

A., quae falsitatem adsertae copulae semper cognovit, sed matrimonii nullitatem ignoravit, nuper conscia facta est de nullitate sui matrimonii ob impedimentum aetatis suae, non sublatum per dispensationem ex falsis causis concessam. Quare sub die 6 februarii 1945, libellum porrexit penes hoc Tribunal in quo expostulat nullitatis declarationem sui matrimonii cum C., initi ex defectu aetatis in ipsa. Libello admissio duplex *Dubium* efformatum est ad normam iuris solvendum. Primum DUBIUM, pro causa incidentaliter ac praevia, his verbis est concordatum: AN FUERINT VEL NON VERAЕ, CAUSAE EXPOSITAE IN PETITIONE APOSTOLICAE DISPENSATIONIS AB IMPEDIMENTO AETATIS ACTRICIS, ET AN FUERINT VERAЕ IN TEMPORE EXECUTIONIS RESCRIPTI PONTIFICII. Secundum DUBIUM,

pro causa principali: AN CONSTET DE MATRIMONII NULLITATE IN CASU, OB IMPEDIMENTUM AETATIS EX PARTE ACTRICIS QUANDO HAEC MATRIMONIUM INIVIT CUM CONVENTO.

IN IURE

2. Notum est quod iuxta canonem 1.067 «vir ante decimum sextum aetatis annum, mulier vero ante decimum quartum etiam completum, matrimonium validum inire non possunt». Qua lege, Codex Iuris Canonici non solum ius antiquum immutavit, sed et praesumptionem sustulit in contrahentibus quae «si malitia supplebat aetatem», nuptiae, ante aetatem ab illo iure requisitam, erant validae. Modo exigitur pro muliere aetas quatuordecim annorum expletorum, quin attendatur existentiae malitiae in contrahentibus; qui anni computandi sunt ad normam canonis 34, § 3, 3.º; sic si mulier nata sit 25 aprilis anni 1908, nonnisi a die 26 aprilis 1922 habilis est ad validum matrimonium ineundum (cfr. WERNZ-VIDAL: *Ius Matrimoniale*, n. 207). Sed impedimentum aetatis quod est iuris naturalis quatenus defectus aetatis implicet defectum discretionis sufficientis ad consensum matrimonialem, sic absolutum seu in mero facto defectus aetatis requisitae determinatum et constitutum, est iuris mere ecclesiastici, quodque, proinde, per veram dispensationem a Romano Pontifice concessam cessare potest; quae dispensatio aegre et raro conceditur (cfr. DE SMET: *De sponsalibus et matrimonio*, n. 547; CAPPELLO: *De Matrim.*, n. 224, 5.º; REGATILLO: *Ius Sacramentarium*, vol. II, n. 411), licet recenti praxi non tantum ob causas boni publici sed etiam boni privati interdum concedatur (cfr. WERNZ-VIDAL, *l. c.*, n. 338); et ut notat DE SMET (*l. c.*, n. 816) «pro aetatis impedimento... requiritur causa gravissima».

3. De rescriptis in genere, Codex inter alia statuit haec: «Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto executore, effectum habent a momento quo data sunt litterae; caetera a tempore executionis» (can. 38). Porro conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorum validitate censentur, cum per particulas *si, dummodo*, vel aliam eiusdem significationis exprimuntur (can. 39). Caeterum, in omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: «*Si preces veritate nitantur*», salvo praescripto can. 45, 1.054 (can. 40). Ex allatis principiis sequitur gratiam, quam dispensationem concedendam committit alicui executori, tunc tantum dici posse datam, si, 1.º, respectivum rescriptum executioni mandatum sit, et si, 2.º preces veritate nitantur. Ab hac ultima tamen conditione duae dantur exceptiones. Una respicit rescripta, quibus apponitur clausula *Motu proprio*, nisi «falsa causa finalis eaque unica proponatur salvo praescripto can. 1.054 (cfr. can. 45); altera spectat

dispensationem ab impedimento minore concessam, quae «nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit» (can. 1.054). Dispensationes vero ab impedimentis maioris gradus, ut est impedimentum aetatis, iuxta can. 1.042, invalidae sunt, si unica causa finalis, vel, si plures sint, omnes in petitione dispensationis expositae, falsae fuerint; id quod desumitur ex citatis canonibus 40 et 1.054, et ab omnibus auctoribus sustinetur (S. R. R., 16 iunii 1934).

4. Causa *finalis*, quae etiam motiva vel principalis vocari solet, est illa quae dispensantem determinat ad concedendam hic et nunc dispensationem, et sine quae non concederetur, aut non sub eadem forma et amplitudine; causa vero *impulsiva* est illa quae aliquo modo quidem movet dispensantem, ut *facilius ac citius* dispenset, sed sola, id est, absque causa finali, non sufficit ad dispensationem impetrandam. Haec causae finales, quae sive seorsim acceptas, sive alteri adiunctae, iuxta ius scriptum vel secundum stylum Curiae Romanae ordinarie requiruntur, ut ab aliquo impedimento dispensetur, vocari solent *canonicae* (cfr. WERNZ-VIDAL, *l. c.*, n. 430; DE SMET: *De sponsalibus et matrimonio*, n. 814).

5. Tria praecipua documenta, ad impedimentorum dispensationes quod spectat, prae oculis habenda sunt: 1.^o, Instructio S. C. de Propaganda Fide, 9 martii 1877; 2.^o, Formula Apostolicae Datariae, pro matrimonialibus dispensationibus, edita anno 1901; et 3.^o, Praxis Apostolicarum dispensationum, anni 1902 (cfr. CAPELLO, *l. c.*, n. 298). Ex hisce documentis, inter causas *canonicas* et *infamantes*, adnumerantur copula et remotio scandali. Copula est una ex causis urgentioribus (cfr. REGATILLO, *l. c.*, n. 357). Remotio seu reparatio scandali, quatenus specificè differt ab aliis causis similibus, ut periculosa familiaritas, infamia mulieris, quae spectarent scandalum *praeveniendum*, sese refert ad scandalum *removendum* (cfr. DE SMET, *l. c.*, n. 827).

6. Documenta publica, inter quae censentur acta Ordinariorum et plura documenta a parochis subsignata et sigillo firmata (can. 1.813), fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in eisdem affirmantur (can. 1.816). Quae fides seu valor probatibus innititur in hoc quod actus vere procedat a persona publica destinata ad veritatem in documento exprimentam et in multis casibus iuramento adstrictam ad officium publicum fideliter adimplendum, et in solemnitatibus observatis; pro talibus personis stat praesumptio de vera et sincera expressione facti circa quod directe et principaliter instrumentum confectum est. Fides autem refertur ad ea dumtaxat facta de quibus in instrumento deponit persona publica, fidem suam obligans; quae fidei obligatio non extenditur ad ea quae propriis sensibus potuit percipere, nec protenditur ad ea quae

coram ipsa dicta vel facta asseruntur; quare, si coram notario quidam contrahentes declarant sese copulam habuisse, atque hoc factum petant consignari in publico instrumento, notarius in instrumento fidem suam obligat relate ad illam declarationem quam proprio sensu percipit, non relate ad ipsam copulam quam solum movit ex contrahentium declaratione.

Vis probativa documenti publici est, tamen, impugnabilis, idque manifeste deducitur ex canone 1.815. Praeterea plena fides instrumenti publici est simplex praesumptio iuris, quae admittit probationem contrariam sive indirectam, sive directam (cfr. WERNZ-VIDAL: *De processibus*, n. 517). Probatio directa datur quando ex declaratione testium, ex productione aliorum documentorum, ex praesumptionibus et indiciis certo probatur falsum esse quod in instrumento continetur. Et datur probatio indirecta, cum iuridice evincitur falsa esse quaedam adiuncta quae in instrumento exprimuntur, ex quo logice instrumentum redditur omnino susceptum, vel eruitur ipsum fuisse simulatum, hoc est, aliter actum esse, aliter vero in instrumento fuisse scriptum.

7. Ad causas de reprobatione instrumentorum, maxime iuvant regulae ac doctrina traditae ab Auctoribus, inter quae eminent inter antiquos SCHMALZGRUEBER (l. II, t. XXII, n. 95 et seq.), REIFFENSTUEL (l. II, t. XXII, n. 286 et seq.), SANTI (l. II, t. XXII, n. 19 et seq.); et inter modernos WERNZ-VIDAL (l. c., n. 513) ex quibus excarpitur sequens doctrina.

Instrumentum impugnatur, inter alia capita, ratione *causae materialis*, scilicet quando instrumentum factum est super negotio de quo non potuit confici instrumentum, et ideo falsum est quod in instrumento continetur; et ratione *causae formalis*, quando nempe observatae non fuerint iuris sollemnitates. Ad causam materialem pertinet contrarietas quae interdum invenitur, quando nempe unum instrumentum repugnantia complectitur vel contra unum producatur aliud instrumentum priori repugnans. Probatur etiam falsitas instrumenti per depositionem testium legitime deponentium contra valorem aut contra rem in ipso contentam. Testes autem possunt esse *instrumentarii*, hoc est, in ipso documento descripti vel ab ipsis subscripti, vel *extranei*. Testes instrumentarii valde attendendi sunt, et, si qualitates habent a iure requisitas, et omnes affirmant non ita actum esse vel factum non ita contigisse, prouti in ipso continetur, instrumentum redditur omnino nullum. Quod si non omnes vivunt, ad contradictionem unius testis instrumentarii fides instrumenti vacillat. Si duo testes instrumentarii, instrumento contradicant, et desunt alii testes instrumentarii qui instrumentum defendant, instrumentum redditur suspectum; sed si alii adsunt testes, licet extranei, fidedigni, qui declarent rem non ita contigisse prouti in instrumento continetur, tunc redditur omnino falsum. Si testes inscripti, seu instrumentarii—ait SCHMALZGRUEBER (l. c.,

n. 107)—iam obierunt, per duos testes extraneos et omni exceptione maiores, instrumenti fides sufficienter infringitur; quia per duos testes omni exceptione maiores, ipso iure naturae plenissima probatio habetur, et instrumentum publicum plenam fidem accipit iure tantum positivo ob magnam praesumptionem, seu ex sola indulgentia iuris. Praesumptio igitur cedere debet veritati. Falsitas instrumenti probatur etiam si instrumentum non continet verisimilia; sicut enim testi deponenti non verisimilia non attenditur, ita nec instrumento. Demum hisce in causis, omnia attendenda sunt, et rite considerare, an omnibus perspectis ac rimatis casus adiunctis, probatio plena habeatur ad declarandum instrumentum esse valore destitutum.

IN FACTO

8. Agitur in casu de matrimonii nullitate ex defectu validae dispensationis super impedimento aetatis mulieris, ob falsitatem causarum quae ad dispensationem assequendam expositae fuerunt. Istae enim causae sic expressae sunt in instantia qua processus dispensationis in Curia Barcinonensi inchoatus est, ut constat ex textu originali, qui in actis prostat: «Los oradores, movidos de humana pasión, se han conocido carnalmente, hallándose la oratriz en estado de gestación, cuya certificación médica se acompaña... Que urge la efectuación del proyectado enlace para evitar la infamia de la oratriz y legitimar la prole que le ha de nacer.» Ex quibus elucet adsertum factum quod nitebatur dispensationis expostulatio, fuisse copulam cum graviditate mulieris, ex qua oriebantur periculum infamiae et necessitas prolem legitimandi. Quod plene confirmatur ex interrogatoriis factis et responsionibus datis ab oratoribus et a testibus in ipso processu excussis, ut videre est in textu originali processus. Praepositus vero a precibus in instantia ad S. C. de Disciplina Sacramentorum elevata et tunc a Vicario Generali subsignata, causas expostulationis hisce verbis expressis: «*Malitia supplet aetatem, etenim oratrix gravida existit ex oratore; aliunde officia sibi provenientia ex matrimonio capiscunt ipsi oratores.*» Unde unica causa finalis, seu principalis, exposita fuit copula cum graviditate mulieris; et causa secundaria, pro omni matrimonii convenientia, spes vel desiderium oratorum sibi curandi officia ex matrimonio provenientia. Hoc quidem constat ex exemplari trassumpto, quod in actis prostat; quod quidem documentum, licet, ut iacet, non sit documentum publicum, quale expostulaverat ex officio Iudex Instructor (fol. 65), tamen trassumptum est ex originali per Praepositum Tabulario Sacrae Congregationis Rituum, Illum Josephum Ríus Serra, cui commendata fuit asequutio exemplaris trassumpti authenticici; et cum praefatus Josephus Ríus sit testis omni exceptione

maior, et caeteroquin transmissum trassumptum privatum plene consonet cum aliis textus originalis processus adiunctis, plena fides ipsi danda est.

Sacra vero Congregatio de Disciplina Sacramentorum, per rescriptum datum sub die 23 aprilis 1921, quod in actis prostat, his verbis in forma commissoria dispensationem concessit: «Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a Ss.mo D. N. Benedicto Papa XV, sibi tributarum, prae oculis habita causa quae ad optatam gratiam impetrandam potissime affertur, hoc est *scandalum reparandum* Ordinario Barcinonen. *committit*, ut, *si vera sint exposita*, servatis canonicis praescriptionibus, dispensationem a memorato impedimento oratoribus benigne largiatur.» Unde evidens est in casu dispensationem fuisse concessam ad reparandum scandalum quod ex supposita et praeaffirmata copula oriebatur. Peractis diligentibus opportunis, iuxta mandatum Vicarii Generalis, in paroecia Sancti Andreae, dispensatio ab impedimento executioni mandata est verbis quae in actis prostat. Ex quibus aperte eruitur totam quaestionem in nostro casu, in eo esse, an revera locum habuerit copula ante matrimonium inter oratores, modo actricem et conventum, cum graviditate oratricis, et inde extiterit, necne, scandalum reparandum.

9. Actrix, quae, iuxta receptas informationes, quae in actis prostant, singulari nota religiositatis et credibilitatis eminent, fatetur (13) verum esse nullum adfuisse sensualem contactum, sed conventi matrem illum callide adfirmasse et supposuisse, ad hoc ut actricis parentes cederent ut annuerent matrimonio ab ipsa proposito: et sciscitata a Vinculi Adsertore, ait: «Yo siempre dormí con la madre del demandado... Yo no salí jamás sola con el demandado; siempre iba sola con la madre, que me llevaba al cine» (6); et ab eodem Vinculi Defensore interrogata de tempore quo primam menstruationem habuit, respondit: «Yo noté por primera vez la menstruación cuando veíamos una película de tigres y leones unos meses después del casamiento.»

Conventus, sciscitatus ex officio an verum sit actricem tunc gravidam evasisse, fatetur: «Estoy certísimo de que Josefina no estaba encinta.» Et respondens Vinculi Defensori, dicit: «Yo puedo asegurar que Josefina no tuvo jamás aborto ni nada parecido, pues estoy convencido que era virgen cuando estaba en mi casa» (XI). Tandem, existimans ut certam suae matris calliditatem ad fingendam copulam ut matrimonium ab ea exoptatum iniri posset, ait: «Entonces yo sólo sabía que no había tenido contacto con ella» (9 inter. actricis). Unde, iuxta actricem et conventum, non tantum adserta copula, sed et omnis sexualis contactus inter ipsos a realitate omnino alieni fuerunt.

10. Testes excussi uno ore idem affirmant, qui tales sunt, non de opinione aut interpretatione, sed de facto, proferentes, nempe, quae propriis sen-

sibus perceperunt et rem referunt cum circumstantiis specificis et certis, cum assignatione causae suae scientiae. Adsunt, imprimis, actricis pater et amita, quorum prior, de omnibus quae deponit testis oculatus fuit, quique ait: «Es falso que la Josefina y el demandado tuvieron contacto carnal, pues era completamente una niña», et addit: «que la actora no se hallaba en estado de gestación al casarse con el demandado, pues no era mujer»; et respondens Vinculi Defensori, dicit: «No hubo otras relaciones que las impuestas por la necesidad de no tener otra casa donde estar, y la Josefina dormía con la madre del demandado» (5). Et idem deponit amita. P. P., qui consuetudinem habuit cum actrice eiusque parentibus tempore quo isti penes Barcinonem degebant, quique deinceps ipsam consuetudinem servavit cum actrice, ait: «Ella (actrix) me decía, cuando tenía unos dieciséis años, que... nunca había hecho vida marital con C. y que no habían dormido juntos...; que nunca había tenido contacto sexual alguno con C., ni antes ni después del matrimonio» (XI). Idem declarat A. M. (4), qui ait anno 1923, actricem sibi dixisse: «Que ella no había estado embarazada nunca, ni había tenido contacto alguno con el demandado ni con ningún hombre..., y cuando hablé con el demandado años después (tempore reipublicae, ideoque tempore non suspecto) me afirmó lo dicho por la actora.» L. J., qui aestimari debet ut testis omni exceptione maior, sic deponit: «Recuerdo que en aquel entonces mi madre me contó en mi casa que Josefina le había dicho que la madre de C. afirmaba que A. y C. habían tenido contacto sensual, pero que la madre de A. juraba que no era verdad. La madre de A. y mi madre también quedaron convencidas de que no era verdad... Recuerdo que cuando A. tendría unos diecisiete años vino un día a mi casa y yo estaba presente y contó llorando que había dejado a los C. porque decía que allí no podía vivir, y recuerdo que contó que no se había casado, sino que la habían casado, y que nunca había hecho vida marital con C. Yo recuerdo que cuando la madre de A. contó a mi madre los primeros hechos decía que A. dormía con la madre del demandado» (4). Et idem adserit J. S. F. Equidem quidam ex his testibus facta audiverunt vel iisdem conquesta fuit actrix aliquibus annis postquam ea evenerunt; verum tempus quo facta cognoverunt ex ipsa actrice, est tempus non suspectum; ideoque hi testes multum attendendi sunt eo vel maxime quia agitur de factis antiquis de quibus alii testes qui rem tunc de scientia propria cognoverunt, iam mortui sunt; sic plures casus similes aestimantur frequenter a iurisprudencia rotali (cfr. S. R. R. [1934], Dec. XXXI).

11. Sed adstat aliud duplex testimonium ad rei veritatem plene evincendam, Doctorum, nempe, Teixidó et Montaner, medicorum, quorum postremus est in hac medicinae specialitate peritus, et ambo fide digni sunt. Doctor enim

Teixidó in documento quod in actis prostat (fol. 10), adserit, anno 1924, hoc est, tribus post matrimonium annis, cum actricem explorasset, eam invenisse in statu virginitatis constitutam, quod quidem in iudicio sub iuramento confirmat his verbis: «Por los datos clínicos, diagnosticué que la mencionada A. sufría insuficiencia ovárica. Le pregunté si era casada y me respondió afirmativamente, pero aclarándome que no había tenido contacto sexual alguno con su esposo; entonces yo le aconsejé, en vista de no disponer del instrumental preciso para poder hacer una exploración no traumática..., fuera visitada por un especialista. Yo asistí a la visita que hizo a la actora el doctor Amando Montaner, el cual recuerdo que se limitó a una exploración clínica y a la comprobación del diagnóstico antes dicho. Yo creo, y estoy convencido de ello, que el doctor Montaner no siguió adelante en su exploración a causa del estado de virginidad en que se encontró a la interesada.» Et doctor Amandus Montaner, cum litteras doctoris Teixidó fidem facientes subsignasset, easdem, cum sua subsignatione, in iudicio cum fide iuramenti ratas hubit, et addidit: «Cuando visité a la actora el año 1924, ésta se quejaba de un cuadro clínico de trastornos hipo-ovarismo o insuficiencia ovárica; reconociéndole sus genitales o aparato genital externo, comprobé que estando en estado de virginidad y sin alteración de desgarró de sus paredes se hallaba virgen, es decir, comprobé visualmente la integridad de sus orificios o conducto vaginal sin lesión, ni alteración agudizante de sus paredes. Por todo lo cual prescindí de hacer una exploración manual» (2). Iam vero istae duo depositiones plene corroborant actricis thesim, et, una cum actricis, conventi et aliorum testium declarationibus, aperte ostendunt nullam intercessisse copulam inter actricem et conventum, et omni vero fundamento carere adsertum scandalum et mulieris infamiam, quae reparanda fuissent per subsequens matrimonium; ac proinde impedimento aetatis expositas.

12. Sed falsitas scandali reparandi et copula quae illud causavisset, apparet insuper, si attende considerentur adiuncta omnia quae matrimonium antecesserunt, et subsequuta sunt. Ad antecedentia quod attinet, constat, imprimis, ex actis ut factum certum, actricem una cum suis parentibus ad conventi domum non pervenisse nisi iam incepto, et, probabilibus, iam dimidiante, mense decembri 1920, quando actrix esset duodecim annos cum dimidio nata: sic eruitur ex declarationibus actricis (6) et conventi (6), testis P. P. (6) et patris actricis (3-6); et firmiter admittendum est in anteriore tempore nullum indicium inveniri ex quo suspicari posset aliquid inordinatum inter actricem et conventum: nam perdurante tempore quo conventi familia apud X. degebat, hoc est ab anno 1918 usque ad initium anni 1920, nonnisi generales amicitiae relationes extiterunt inter familias conventi et actricis, tunc in eodem populo.

commorantes; et ex quo familia actricis, intendens pergere ad Galliam, primum Barcinonem pervenit usque ad diem qua ad domum conventi sese contulit, nullus congressus inter actricem et conventum locum habuit, nisi forte una tantum conventi visitatio ad actricis familiam antequam haec e Barcinone ad Galliam pergeret, quae visitatio a convento (6) affirmatur eamque memorari videtur testis P. P. (5), licet eam absolute negent actrix (6) eiusque pater (4). Et idem dicendum est de brevi tempore defluente a die qua primum actricis parentes ad domum conventi se contulerunt usque ante diem Nativitatis Domini eiusdem mensis, in qua actricis mater nosocomium «Clínico» ingressa est ad prolem in lucem edendam.

Verum, perdurante actricis matris permanentia in praedicto valetudinario, quoddam factum locum habuit, ex quo conventi mater, quae, ut videtur, rem funestam animo cogitaverat, adfirmare ausa est intimam ac sexualem relationem inter actricem et conventum intercessisse. Audiamus actricem: «Cuando estábamos allí (in domo conventi), el día 24 de diciembre, por consejo de la madre del demandado, mi madre fué a dar a luz en el Hospital Clínico, estando en la sala del doctor Nubiola. En la Nochebuena dió a luz a mi hermana María del Carmen... Mi madre estuvo en el Hospital unos ocho o nueve días» (6). Pernotetur dies ingressus et egressus actrices matris ab Hospitali, hoc est a die 24 decembris 1920 usque ad 3 ianuarii proxime sequentis, constare praeterquam quod ex declarationibus, ex litteris fidem facientibus Praepositi servitio obstetriciae eiusdem Hospitalis, quae in actis prostant. Et prosequitur actrix: «Mientras mi madre estuvo en el Hospital, *la madre del demandado me dijo varias veces las mil pestes de mi madre*. El día de Año Nuevo o un día festivo próximo a él, sería el día 2, recuerdo que fuimos el demandado, la madre y yo en plan de ir al Hospital a ver a mi madre, pero empezamos a dar vueltas, yo no conocía Barcelona y se nos hizo tarde y alegaron que no se podía ir porque estaba cerrado. La madre nos dejó solos por la calle, esperamos un largo rato, no vino, y él me propuso ir a tomar leche, y lo hicimos. Después me dijo de ir al teatro, y fuimos. Cuando salimos, cogimos el tranvía y llegamos a casa avanzada la noche. Al llegar, mi padre estaba hecho una furia, hubo palabras y *ella ya le había dicho antes que el demandado y yo nos arreglábamos y que convenía que nos casáramos*. La que dijo todo esto a mi padre fué siempre la madre del demandado. La misma señora fué a contar a mi madre, que salió del Hospital al día siguiente, la misma historia» (6). Et idem fatetur conventus, dicens: «La madre de la actora estaba encinta y dió a luz en el Hospital Clínico...; esto ocurría hacia fines de año. Recuerdo que un día festivo de aquellos yo fuí a pasear con la actora y estuvimos en el cine o en el teatro y volvimos a casa hacia las doce.

de la noche. No hicimos otra cosa sino ir juntos. Al llegar a casa hubo gritos. Estoy dudando de quién gritó. *Mi madre, ciertamente, no...* Lo que puedo asegurar es que esto sucedió cuando la madre de la actora ya había ido al Hospital. *Mi madre ya me había hablado antes de que iría muy bien de que yo me casara con la actora, y a mí me hacía gracia. Mi madre me decía que así ella tendría una ayuda.* Cuando pasó lo del paseo, mi madre aprovechó la ocasión para hablar con la madre de la actora en el sentido de que había sucedido algo entre yo y la actora. Eso lo he sabido después, pues entonces mi madre no me dijo nada de que hubiera hablado con la madre de la actora; lo que recuerdo es que mi madre me dijo entonces que si había pasado algo entre A. y yo, que nos debíamos casar, y yo le dije que no había pasado nada, pero casarme sí que lo quería» (6). Et idem adserunt actricis pater et matertera (7, 8 et 9), et consonant testes P. P. (6), L. J. (4) et A. M. (4).

Ex quibus eruitur conventi matrem, quae, iuxta actricem (4), iam apud X., cum ipsa nondum duodecim annos aetatis attigisset, quamdam praedilectionem erga ipsam manifestaverat, consilium, ante factum superiori numero relatum, conceperat matrimonii inter filium suum C. et actricem. Nam notandum apprimè est quod ait actrix: «*Mientras estuvo mi madre en el Hospital, la madre del demandado me dijo las mil pestes de mi madre*», quod, evidenter eo fiebat ad avertendam actricem a sua matre; et quod ipse conventus fatetur, cuius plurimum interest matris suae nomen intactum relinquere, scilicet: «*Mi madre ya me había hablado antes de que iría muy bien de que yo me casara con la actora..., que así ella tendría una ayuda...*». Cum nullibi, ex actis et ex omnibus diligentibus peractis appareat indicium confabulationis inter actricem et conventum, haec conventi confessio magni est momenti ad casum diiudicandum. Neque enim aliena censenda est conventi mater ab hoc infelici consilio excogitando ob defectum suae christianae conscientiae; nam, iuxta documentum fidem faciens mortis conventi patris, quod in actis prostat, ipsa mater matrimonium iniverat cum conventi patre, iam iam morituro, cum ex ipso susceperat tres filios, quorum maior, C., iam esset viginti et unum annum natus; cum hoc certo antecedenti plura explicantur, licet gravi malitiae et inhonestati respondeant. Quod confirmatur ex alio facto rite probato. Actrix, nempe, amitam habebat, quae ipsa, ex officio sciscitata, fatente: «*Era el brazo derecho de nuestra casa, nos tenía temporadas con ella, nos compraba vestidos, nos daba dinero..., era mi tía quien nos sostenía.*» Et prosequitur actrix: «*Después de salir mi madre del Hospital, estuvimos unos diez o quince días en casa del demandado. En estos días llegó una carta de una tía mía llamada W. y dirigida a mi padre, amenazándole a que me dejara casar con el demandado, pues por lo visto la madre del demandado le había escrito diciéndole que*

mis padres tenían malas intenciones conmigo y que intentaban negociar conmigo diciendo que había habido intimidación con el demandado. Como esta tía mía se había preocupado mucho de nosotros económicamente, por esto pesó mucho en mi padre, el cual, además, era muy débil de voluntad. Con todo, no creo que mi padre llegara a dar el consentimiento. Esto de la carta lo supe cuando me separé de ellos» (6). *Hancce epistolam, de qua loquitur actrix et quam commemorant testes P. P. (7) et A. M. (7), revera fuisse conscriptam et receptam, constat ex declarationibus ipsius patris qui eam recepit (13), et amitae quae eam conscripsit, quaeque ait: «Es completamente cierto y le pesó mucho entonces y continúa pesándole» (13); «De ninguna manera quería el padre de la demandante dar el consentimiento para el matrimonio; pero que la declarante, que tenía un gran ascendiente sobre él porque lo mantenía, le obligó a hacerlo amenazándole con retirarle la protección» (11). Haec autem epistola alteri respondebat ab ipsa conventi matre prius conscriptae et ad amitam missae, in qua illa huic dicebat: «Que el padre de la actora había llevado a su hija A. a Barcelona para hacer con ella negocio, que ella, la madre del demandado, para evitarlo y queriendo mucho a la actora, quería que ésta se casara con su hijo C.»: sic enim constat ex declarationibus ipsorum patris et amitae (14). Iam vero si attente considerentur omnia casus adiuncta, perfacile intelligitur tenax conventi matris consilium omnes difficultates superandi et omnia media, etsi illicita, adhibendi ut matrimonium, ab ipsa destinatum, iniri posset. Amitae enim auctoritas magno pondere impulsura erat animum actricis parentum in illis angustiis circumstantiis tanto angore laborantium. Sane ex his adiunctis, seorsim sumptis, non evincitur positive falsitas copulae praeaffirmatae; verum satis ostendunt aliquam aliam rationem sibi habuisse conventi matrem ad matrimonium exoptandum et curandum, diversam a reparatione scandali.*

13. *Idem suadent alia facta antecedentia. Si fidem actrici praebemus, cum eius mater a nosocomio egressa est: «Ellos me tenían—ait—en la cama; pues decían que estaba enferma, y no me dejaron ver a mi madre, y mi madre intentó entrar en el cuarto y el demandado la echó por la escalera. Yo dormí siempre con la madre del demandado. El día que mi madre intentó entrar por la fuerza y la echó el demandado, se fueron mis padres de la casa. Entonces quedé yo en casa del demandado con su madre y dos hermanos del demandado más pequeños y el mismo demandado» (6). Iam vero haec opositio conventi eiusque matris ut actricis mater filiam suam videret et cum ea colloqueretur, indicium haud leve est falsum esse quod mater conventi affirmabat de copula habita; et ad conventum quod attinet, ipsum accusat matrimonium velle, non obstanti magna actricis parentum resistentia. Sic egressis a domo conventi ac-*

tricus parentibus, et permanente actrice, veluti moraliter coacta apud familiam C., statim diligentiae incoeptae sunt a convento eiusque matre ad matrimonium ineundum, quin quidquam vel pauca de his praeparationibus actrix cognosceret. Hoc enim tempore perdurante, scilicet ab ineunti ianuario usque ad matrimonium, ait actrix: «Yo no salí jamás con el demandado y siempre iba sola con la madre, que me llevaba al cine, alguna vez con los dos pequeños, pero casi siempre sola con ella, nunca con el demandado» (6). Ex qua liquet aliud inverosimile in hypothese copulae habitae, defectus nempe amoris conventi erga actricem, et specialis matris affectus erga ipsam in quo, procul dubio, latuit anguis et attentati coniugii clavis. «En este tiempo—prosequitur actrix—me iba (conventi mater) hablando siempre mal de mi madre, hasta que yo me lo creí todo lo que me decían. En este tiempo me decían que lo mejor, hasta que mis padres no me reclamaran, era que se hiciese una promesa de matrimonio para que cuando el demandado saliera del servicio militar nosotros pudiésemos casar, pues una promesa tampoco era una cosa definitiva. De ésta hablaban muy a menudo» (6). Facile intelligitur callida conventi matris sollicitudo ad avertendam actricem a sua propria matre ut facilius annueret matrimonio proposito, quod, fatente actrice, non ineundum sed promittendum tantum erat. Si copula praeaffirmata revera extitisset ex qua gravida actrix evasisset, non de promissione, sed de matrimonii celebratione ipsa certior facta esset. Caeterum, conventus cuius interest plura ex his non revelare, nihil declarare audeat, nisi quod: «Al irse sus padres, la actora durmió siempre con mi madre» (7); quod factum, ab ipsa actrice corroboratum, plene cohaeret auditis a testibus in tempore non suspecto et ab ipsis in iudicio declaratis.

14. Facta quae matrimonium subsequuta sunt, idem evincunt. «Yo continué—ait actrix—durmiendo con la madre y jamás (conventus) me dijo nada... Después del casamiento yo continué la misma vida de antes. Yo era tenida en la casa como una hermana más. Dormía siempre con la madre, jamás con el demandado. A mí no me dijeron que estaba casada, ni tenía conocimiento de ello...; el demandado, al cabo de poco tiempo se marchó al servicio militar; jamás me escribió estando en el servicio, pues sólo escribía a su madre y ponía recuerdos para todos. Al cabo de unos diez meses volvió el demandado enfermo y ya no se marchó más. Yo estuve en la casa hasta septiembre del año 1923 más o menos. El demandado no me dió nunca ni una muestra de afecto, mucho menos intentó jamás nada en orden al matrimonio» (11). Conventus dicit: «Dormimos juntos una o dos veces, pero no intentamos siquiera el usar del matrimonio. A. volvió a dormir siempre con mi madre... Yo puedo asegurar que A. no tuvo jamás aborto ni nada parecido, pues estoy convencido de que era virgen cuando estaba en mi casa» (11). Ex quibus duo apparent.

copulam nempe nec quid simile extitisse nec ante nec post matrimonium, et conventum eiusque matrem velle apud se actricem retinere ob fines *speciales* proprios, qui clare in actis non specificantur. Tandem cohaerent facta *posteriora*, ratio scilicet obsoleta cum vexationibus qua conventus eiusque mater actricem tractaverunt, cui impediverunt ne per epistolam matrem suam certio-rem faceret de sua infelici fortuna, et ipse discesus actricis a domo conventi, quin quidquam in contrarium peterent conventus eiusque mater, plene conscii de sua iniqua agendi ratione.

15. Sed adest in actis documentum publicum in quo adseritur revera copulam extitisse et ex ea infamiae periculum, prolis legitimationem et scandali reparationis necessitatem orta esse: sic enim describitur in actis originalis processus matrimonialis qui instructus fuit in paroecia Sancti Andreae de Palomar, de mandato Vicarii Generalis Barcinonensis. Quae quidem affirmatio ab oratoribus et quibusdam testibus iuramento roborata, bis consignatur: scilicet, in diligentibus concessionem dispensationis praevius, et in diligentibus peractis post concessam dispensationem sed ante eiusdem fulminationem ab Ordinario peragendam. Im ambabus diligentibus fidem instructi processus dat sacerdos Ioannes Alabau, Vicarius cooperador ipsius paroeciae, hodie iam defunctus, ut ex documento, quod in actis prostat, constat. Innixus valore huius processus, ac diligentibus existimans rite peractas, Vicarius Generalis Barcinonensis concessionem pontificiam executioni mandavit, oratoribus concedens dispensationem ab impedimento aetatis, ut matrimonium inire possent.

Verum hoc documentum, in quantum in ipso consignantur dispensationis causae, esse valore destitutum, ex supra dictis iam eruitur. Adsunt enim imprimis, tres testes *instrumentarii*, actrix nempe, conventus et actricis pater. Duo primi invicte affirmant falsam esse adsertam copulam et actricis graviditatem, licet actrix et conventus plura adiuncta in memoriam non revocent, quod optime congruit infantiae oratricis et rationi agendi conventi matris, quae, ut videtur, totum consilium conciperet idque executioni, fere sola, mandavit. «Si partes mutuo fateantur falsum esse quod instrumento adseritur vel instrumentum simulatum esse, tum infringitur fides, et claudicat probatio praestanda vel ex eo haurienda» (S. R. R., 6 iunii 1930). Actricis pater, licet processui non intervenerit, tamen in ipso mentio fit de favorabili consensu ab ipso praestito; sed hic testis, plena fide dignus, utramque rem denegat, scilicet, et copulam extitisse cum graviditate filiae suae, et sese consensum praebuisse (1). Equidem actricis pater, consensum non praebuit saltem in scriptis; nam ad X. regressus fuerat. Nec in actis originalibus illius processus invenitur acta consensus paterni; quod indicium aliud est illum non fuisse absque magna levitate instructum: agebatur enim de minore. Et si consensum dedisset

pater dum apud Barcinonem degebat, certe illum dedisset graviter coactus a sua sorore cum comminatione amittendi protectionem. Similiter actricis amita quae licet non sit testis instrumentarius, tamen facta cognovit tempore quo ipsa evenerunt, rotunde affirmat falsum esse quod de copula et de graviditate adseritur in documento. Relati, insuper, supra sunt quatuor testes extranei, nempe, L. J., P. P., A. M. et S. F., omnes plena fide digni, praesertim primus qui ut testis omni exceptione maior censendus est, quique omnes, in tempore suspecto facta noscentes, actricis thesi aperte favent. Et praesertim adsunt declarationes duorum medicorum, doctorum, nempe, Teixidó et Montaner, qui anno 1924, scilicet, tribus annis post matrimonium, actricem exploraverunt eamque invenerunt virginitate fulgentem. Ex argumentis igitur directis plene evincitur falsitas instrumenti de quo in casu sermo est, et plene probatur in casu rem non ita evenisse prouti in textu processus refertur.

16. Sed alia patent indirecta argumenta ex quibus infringitur valor instrumenti. Adsunt enim quaedam certa indicia gravissima in instrumenti confectione non fuisse observatas iuris sollemnitates, ex quarum defectu, iusta dicta in iure, instrumentum redditur nullum, vel saltem testibus qui in illo processu declararunt, fidem non esse praebendam eo quod certissime in quibusdam falsa declararunt; unde instrumentum redditur totaliter suspectum. Sic, ad oratores quod attinet, isti mense maii 1921, adseruerunt sese domicilium habere in paroecia Sancti Andreae a *quinquennio* (3), cum certum omnino sit, ex documentis quae in actis prostant, actricem nonnisi mense novembri 1920 Barcinonem primum pervenisse, et conventum nonnisi ab initio eiusdem anni 1920 penes ipsam civitatem degere incepisse. Praeterea, in processus instructione tres testes auditi sunt: E. G., qui in primis diligentibus tantum declaravit; G. G., qui deposuit in primis et secundis diligentibus; et I. P., qui in secundis tantum declaravit. G. G. ait (1) sese cognovisse ac pertractasse oratores a *triennio* et ratione *vicinitatis*; et I. P. (1) eos cognovisse «desde su infancia por razones de amistad», et oratores domicilium habere in illa paroecia «de mucho tiempo». Quod quidem falsum esse aperte eruitur ex dictis de tempore que oratores Barcinonem pervenerunt. Igitur, vel interrogatoria et iuramentum deferendum oratoribus et testibus, iuxta decretum Vicarii Generalis, reapse delata non fuerunt, quo in casu nullum esset instrumentum confectum ob defectum sollemnitatum praescriptarum, vel si reapse delata sunt, oratores et testes tunc periurarunt, falsa sub iuramento affirmantes, quo in casu aliae ipsorum affirmationes in instrumento contentae valde suspectae redduntur. Quod tamen nullatenus afficit actrice credibilitatem in praesenti causa eo quod tunc esset puella ignorans sanctitatem iuramenti. Insuper, legitime citata, ad iudicium comparuit vidua tertii testis, mulier Obdulia, quae deponit

sese non cognovisse actricem et conventum, et penitus ignorare relationem sui sponsi, iam defuncti, cum ipsis; quod inverosimile esset si revera vera amicitia sponsus defunctus cum oratoribus coniunctus fuisset. Insuper oratrix affirmat (7) se nullum ex hisce testibus novisse; et conventus, qui tunc erat iam 22 annos natus, tantum memoratur (7) unum ex illis morari in domo sibi proxima, et testes omnes a sua matre fuisse conquisitos. Infauste hi tres testes instrumentarii audiri non potuerunt in hoc iudicio, sive quia iam certo obierunt, ut I. P., sive quia, cum eorum domicilium ignotum sit, nec post citationem per edictum et alias diligentias peractas, quas in actis prostant, non comparuerunt. Et idem dicendum est de sacerdote Alabau qui instrumentum confecit, et de conventi matre quae omnia ad nuptias filii sui paravit. Omnibus inspectis casus adiunctis, verisimilius videtur non fuisse in illo processu matrimoniali, seu in instrumento, observatas iuris sollemnitates; notoria, licet lugenda, enim, res est, illis in temporibus, in paroeciis vastissimis, ut tunc erat paroecia Sancti Andreae de Palomar, processus matrimoniales huius indolis celeriter confici ac levissima forma: multi enim dabantur casus in quibus textus processus, seu instrumentum, praeparabantur, et testes officinam paroecialem adibant ad subscribendum tantum, quin ipsis ulla interrogatio fieret et ulla iuramenti species deferretur. Quidquid sit de hac re, evidens in casu videtur falsas fuisse causas ad dispensationem ab impedimento aetatis expositas.

17. In processu matrimoniali instructo a Curia Ecclesiastica Barcinonensi, adest documentum subsignatum die 22 februarii 1921 a Iosepho Teixidor in quo hic medicus fidem facit de statu praegnantiae actricis. Sed documentum hoc est mere privatum, et contra ipsum productum est aliud documentum posterius subsignatum a medicis, doctoribus Teixidó et Montaner, illi priori omnino contrarium: unde, iuxta dicta in iure, vis illius prioris documenti ruit. Deinde, si adiuncta omnia rite perspiciuntur, defectus valoris illius documenti facile evincitur. Actrix enim (8) nec meminit sese fuisse a medico, tunc temporis exploratam, quod, attenda eius credibilitate, haud facile explicatur si revera praedicta exploratio, quam refert doctor Teixidor, reapse facta fuerit et adfuisset adserta graviditas; nam agitur de eventu qui difficulter obliviscitur. Conventus anxius manet an revera actrix fuerit necne explorata, licet ipse dicat instrumentum tunc cognovisse, ait enim: «Al venir a la Curia me dijeron que sólo había un sistema de podernos casar, y era si probaba con un certificado médico que A. estaba encinta. Fuimos a un médico, de la calle de San Andrés... Mi madre es la que se entendió con el médico. Me parece que A. fué con mi madre, pero no lo aseguro... Yo no leí el certificado, pero supe por mi madre que decía que A. estaba encinta» (7). Insuper, ad iudicium vocatus, praedictus medicus Iosephus Teixidor, sub iuramento deposuit: «Puedo

asegurar que la niña que yo visité se hallaba embarazada *al menos de cuatro o cinco meses*» (5). Iam vero, exploratio, iuxta ipsum instrumentum, facta fuit die 22 februarii 1921, et ex actis constat actricem Barcinonem primum pervenisse nonnisi iam exeunte mense novembri 1920, et apud domum conventi, una cum suis parentibus, commorata esse a dimidiante mense decembris eiusdem anni. Caeteroquin, iuxta omnes, factum ex quo oriri affirmabatur supposita relatio sexualis et ex ea actricis graviditas, locum habuit a die 21 decembris 1920 ad diem 2 ianuarii sequentis, ac proinde a tempore quo factum evenit usque ad diem quo exploratio facta dicitur, tempus non attingit periodum duorum mensium. Ex quibus eruitur vel falsam esse actricis explorationem adsertam a doctore Teixidor, quia inverosimile ac impossibile continet; vel puellam ab ipso exploratam, non actricem, sed aliam fuisse. Praedictus medicus in iudicio innuere videtur in casu personae supplantationem; sed re mature inspecta ac considerata, potius et verisimilius videtur explorationem non fuisse factam; nam non rarum et a praxi alienum est medicos quosdam, ad opera bona, ut aiunt peragenda, et posibles effectus non perpendentes, litteras fidem facientes expedire de infirmitate vel de alicuius personae statu. Medici plurimum interest suum bonum nomen servare; nec in sua depositione quidquid dicit de mediis quibus usus est ad recognoscendam puellae graviditatem, quae quidem media necessaria non erant, si iam mulier quam ipse exploravit, gravida evaserat a quarto, vel a quinto mense. Caeterum, haec nostra casus aestimatio optime cohaeret convento, qui, adstrictus ex officio, et sciscitatus quare medicus graviditatem attestatus fuerat, cum reapse haec non existeret, respondit: «Yo no puedo precisar lo que se me pregunta, pero supongo que lo haría el médico *para hacer una buena obra*» (7).

18. Ex hisce omnibus ut certum omnino evincitur, nec copulam extitisse, nec actricis graviditatem, nec quidquid simile ex quo oriri posset infamiae periculum, nec scandalum reparandum. Quapropter, omni causae complexu rite considerato ac mature rimato, evidens videtur causas finales expositas in postulatione dispensationis ab impedimento aetatis actricis, totaliter falsas fuisse. Sane nebula quaedam manere possunt super motivis realibus propter quae conciliatum fuit matrimonium a convento et praesertim ab eius matre, et super personis quae viam suasserunt ut medium ad illud assequendum. Verum satis in casu est plena certitudo, non de his motivis, sed de reali falsitate facti quod verum tunc adsertum est. Unde agitur in casu de Rescripto gratiae per fraudem vel malitiam impetratum, quodque est ipso iure nullum, etiamsi expressio falsi non fuerit causa concessionis Rescripti. Nam in doli poenam indistincte vitiatur Rescriptum (*S. R. R.*, 4 iulii 1931). Praeterea cum impedimentum aetatis sit maioris gradus, et Rescriptum cum concessionis datum

sit cum clausula «si vera sint exposita», evidens est dispensationis concessione in casu fuisse nullam.

19. Tandem ad actricis aetatem quod attinet, certum est eam in die quo matrimonium initum fuit, non esse natam nisi tredecim annos cum uno mense: sic enim constat ex documentis, quae in actis prostant, subscriptis ac sigillatis a paroco et Iudice Municipali de X., ubi actrix nata ac baptizata est. Deinde ipsa dispensatio ab impedimento aetatis, aperte concinit defectum canonicae aetatis in actrice ad matrimonium incundum. Unde quando actrix et conventus matrimonium contraxerunt, illa dirimenti aetatis impedimento subiecta erat.

Quapropter, omnibus tum in iure, tum im facto, rite perpensis ac mature consideratis, audito Iustitiae Promotore, infrascripti Iudices, pro Tribunali sedentes et solum Deum prae oculis habentes, sententiandum censent ad definitive sententiant, constare in casu de nullitate matrimonii: seu, Dubio praevio ac incidentaliter, seu: AN FUERINT VEL NON VERAЕ, CAUSAE EXPOSITAE IN PETITIONE APOSTOLICAE DISPENSATIONIS AB IMPEDIMENTO AETATIS ACTRICIS, ET AN FUERINT VERAЕ IN TEMPORE EXECUTIONIS RESCRIPTI PONTIFICII, respondent: CAUSAE EXPOSITAE IN PETITIONE DISPENSATIONIS AB IMPEDIMENTO AETATIS NON FUERUNT VERAЕ, NEC VERAЕ FUERUNT IN TEMPORE EXECUTIONIS RESCRIPTI PONTIFICII. Dubio autem principali, seu: AN CONSTET DE MATRIMONII NULLITATE IN CASU, OB IMPEDIMENTUM AETATIS EX PARTE ACTRICIS QUANDO HAEC MATRIMONIUM INIVIT CUM C., respondent: AFFIRMATIVE; statuentes iudiciales expensas a convento et actrice in solidum esse solvendas.